



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MDLX. ad annum MDCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Indictio Fvtvri Concilii Provincialis Qvarti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15522**

Synodo a nobis decreta sunt, ignorantiam excusare liceat; edicimus, vt ex quo primum die edita, in valuis metropolitanæ ecclesiæ proposita fuerint, ad duos menses omnes se, & his decretis, & si contra fecerint, poenit., quæ eis continentur, teneri intelligent. Ab eo etiam affixionis die eorum decretorum temporum initium sumendum decernimus, quibus aliquid intra certum tempus præstari iubemus.

Vnusquisque præterea episcopus ea omnia & singula in proxima diœcesana Synodo legi ac recitari iubebit. Et si ita expedire censuerit, suæ quoque cathedralis ecclesiæ valuis proponi: quo studiosius omnium animis eorum præcepta fixa inhærent.

Singulæ etiam cathedrales & collegiatæ, & parochiales ecclesiæ huius prouinciæ, has nostras constitutiones certo aliquo loco collocatas, perpetuo asseruent.

Omnia & singula quæ a nobis in hac tertia prouinciali Synodo decreta, actaque sunt, qua debemus obedientia ac reuerentia, auctorati ac iudicio sanctæ Romanæ ecclesiæ, omnium ecclesiarum matris & magistræ, semper emendanda & corrigenda subiicimus.

Quia nonnulla a summo Romano pontifice, & publicæ totius prouinciæ Mediolanensis, & priuatæ singularum ecclesiarum vtilitatis causa petenda sunt; decernimus ut quidquid ab eius sanctitate communibus nostris, & qui adsunt, coepiscoporum literis postulabitur, id huius Synodi nomine & auctoritate ita factum intelligatur, perinde ac si in sessione publice postulatum esset.

## INDICTIO FVTVRI CONCILII PROVINCIALIS QVARTI.

*Carolus miseratione diuina titulisanctæ Praxedis sanctæ Romanae ecclesiæ presbyter cardinalis, Borromæus nuncupatus,  
sanctæque Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopus.*

**O**MNIBVS & singulis reuerendissimis dominis episcopis, qui hic adsunt, & Synodo prouinciali Mediolanensi quacumque ratione interesse debent, omnibusque item capitulis, & ecclesiarum cathedralium procuratoribus, qui præsentes intersunt, indicimus, significamus, denuntiamus, & intimamus, proximam sequentem

ANNO CHRISTI  
1576. Synodus prouincialem Mediolanensem quartam, Deo omnipotente auctore, & ad eius laudem hac eadem in vrbe, hoc ipso loco, anno 1576. die decimo mensis Maii, qui dies erit feria quinta dominicæ secundæ post resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, inchoandam & celebrandam esse.

Quamobrem eos omnes, & singulos reuerendissimos dominos episcopos, qui hic præsentes adsunt, monemus, procuratores vero ecclesiarum cathedralium inuitamus, vt eo die ad Synodum prouincialem quartam, iuuâte Deo, Mediolani celebrandam, constituto, hic omnino intersint; nisi diem celebrationis ipsius Synodi aliqua ex causa a nobis prorogatam fuisse nostris ad eos datis literis intellexerint. Quod si ipsorum reuerendissimorum episcoporum nostrorum aliquis legitimo tunc detentus erit impedimentoo, nuntium ad se excusandum, atque ad impedimentum probandum ad nos mittat, cui etiam facultas ab ipso detur, ea omnia & singula nomine suo & ecclesiæ suæ recipiendi, quæ Spiritu sancto duce, in ipsa Synodo a nobis de consilio & assensu reuerendissimorum episcoporum nostrorum, decernentur aut constituentur.

ANNO CHRISTI  
1576. CONCILIVM MEDIOLANENSE IV.

PROVINCIALE.

Quod Carolus Borromæus sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis tituli sanctæ Praxedis, archiepiscopus Mediolanensis, habuit anno a Christo nato MDLXXVI. Gregorio XIII. pontifice.

EDICTVM DE CONCILIO PROVINCIALI IV.

*In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii  
& Spiritus sancti. Amen.*

Carolus Borromæus sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli sanctæ Præxidis presbyter cardinalis, Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus sanctæ Mediolanensis ecclesiæ, uniuersis prouinciæ nostra Christi fidelibus salutem in Domino.

PRO archiepiscopalib[us] officiis nostri ratione, quæ progressionibus suis tota ad optimam pastoralis munera cu-